



**Geistliche || Lieder vnd Psalmen/ der || alten  
Apostolischer recht vnd warglau=||biger Christlicher  
Kirchen/ so vor vnd nach der || Predigt/ auch bey der  
heiligen Communion/ vnd || sonst in dem haus ...**

**Leisentritt, Johann**

**Budissin, 1567**

**VD16 L 1061**

Commemoratio Librorvm Per Reverendvm D: Ioannem Leisentritium, &c.  
Paßim editorum, ex Epistola Clarißimi D. Constantini Lauterbani V. I.  
Doctoris ad Leopoldum de Parenti scripta.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56527)

# COMMEMO-

RATIO LIBRORVM PER RE-  
VERENDVM D: IOANNEM LEI-  
sentritium. &c. Passim editorum, ex Epistola Cla-  
rissimi D. Constantini Lauterbari V. I.  
Doctois ad Leopoldum de Paren-  
ti scripta.

**I**OANNES LEISENTRI-  
tius senior, Prothonotarius  
Apostolicus, per vtramq;  
Lusatiam Episcopatus Mis-  
nensis Administrator &c. de Apo-  
stolica, Orthodoxa & Catholica reli-  
gione benè meritus, annis præteritis  
pro restauranda & propaganda uere  
Christiana pietate, in lucem dedit,  
iustæ magnitudinis Libellum Præ-  
cationum, ex probatis Ecclesiæ scrip-  
toribus fideliter congestum, simul &  
de adorando Eucharistiæ Sacramen-  
to, cum alijs informationibus, in pe-  
riculo atq; agone mortis scitu neces-  
sarijs, qua etiam ratione pro fidelibus

JS  
1806



EPISTOLA

defunctis preces ad Deum fundenda sint, ex ipso sacrae scripturae fundamento refertissimum, tam spiritibus, quam secularibus valde utilem, quem per praesentem Grammatophorum tibi transmitto bono cum iudicio perlegendum.

Pari modo Latine edidit typisq; iam excudi curavit, alterum libellum de salutari praeparatione ad S. S. Missae sacrificium, cum expositione omnium rituum, quae in ipsa missae celebratione paguntur, per iunioribus sacerdotibus Dioecesis Misnen: contra modernos Antichristi praecursores, gregem Domini lacerantes, & iuge sacrificium pedibus calcantes. O si nostri presbyteri hunc Libellum diligenter legerent, tenerent & docerent, iuxta sacrorum Canonum dispositiones uiuentes, certe maiori cum deuotione & reuerentia, quam (proh dolor) fit, tra-



CONSTAN: LAVTERBA:


starent Sanctum Sanctorum uigilantioresq; existerent in officio, atq; ita proculdubio cessarent multa mala, hæresesq; infinitæ, quibus hodie miserè affligitur et pturbatur ecclesia.

Vidi & legi Tabellam eiusdem De uitanda ebrietate, quibus præconijs illam euehant Itali uestri & Germani nostri, in propatulo est.

Huius Vigilantissimi Pastoris industria & laboribus præter scripta contra Antichristum Aquilonarem cum. Elegantissima calamitatis inclytæ nationis Germanicæ deploratio- ne, prædictis, accesserunt & alia opera, utpote forma Germanico Idiomate (iuxta temporis rationem & ob causas in præfatione ibidem expressas) Baptisandi infantes, cum huiusmodi omnium ceremoniarum explanatione, qua uix melior hac tempestate haberi poterit, prout à sacrarum

JS  
1006





EPISTOLA

literarum peritissimis probatur & commendatur multis nominibus.

Apparet & extat huic annexa formula excipiendi atq; congruis Cæremonijs in Templum Sancti Petri Budissinæ introducendi sacratissimum tunc Regem, nunc Imperatorē Romanorum &c. MAXIMILIANVM &c. Pro cuius Maiestate Cæsarea unā cum Imperatrice & liberis eorundem in longæuos annos conseruandis, tam piæ ad Deum contextæ preces insertæ sunt: ut illas pro tanto Christiani orbis Monarcha sine intermissione absolueret diuino iure teneamur omnes, harum ut breui exēplar habeas, sedulo dabo operā.

Sed heus quā primū Sacrosanctum Tridentinum Concilium œcumenicum nuper celebratum conuersissimum Calicis, haud sperendam idem Leisentritius conscripsit



CONSTAN: LAVTERBA:

publicationem, in qua defenditur, ex  
sacra scriptura probatur atq; salua re  
tinetur participatio unius speciei.

Cantica Germanica per vetusti-  
oris indubitatae fidei nostrae Christi-  
anae praedecessores ante multa secula  
deuotissime contexta, Laicis in tem-  
plo ante & post concionem, imò sub  
sacra communionem, pro temporis ra-  
tione cantari iudulgenda, selegit, &  
in ordinem redegit. Composuit &  
alia, videlicet, Quid fides. Quid ius-  
ticia. Vbi ueritas. Vbi Ecclesia. Vbi  
Synagoga Sathanae. Quae uia Dei,  
& quae perditionis sit semita, illa ta-  
men aliquandiu uult domi latere, suo  
tempore excudenda.

Taceo formas ( quae passim eodẽ  
authore extant ) desponsatos & legi-  
time proclamaros copulandi. Item  
uisitandi & consolandi aegrotos in  
periculo mortis, quae apud optimos



EPISTOLA

quosque uiros in magno precio habentur.

His præterea adiectus est elegans tractatus causarum Matrimonialium ex Authenticis Catholice Ecclesie, iurisque Canonici Doctoribus magno cum studio & labore compilatus, iunioribus presbyteris & Pastoribus hoc corrupto tempore admodum frugifer, Exemplaria quidem desiderantur, sed non dubito quin auctiorem nobis denuò recudi curabit, quod facile fieri potest, Nam homini non deest ingenium & eruditio, Neque etiam deficiunt libri, quibus haud paruo sumptu extracta potitur libraria, in qua non solum copia, sed & insignis delectus exquisitorum Codicum habetur. Multos enim Authores in ea reperi & reuolui, quorum copia in præcipuis (crede mihi) multarum regionum Bybliothecis





CONSTAN: LAVTERBA:

desideratur & requiritur. Fide digni homines aiunt illam summis impensis (quibus bonus iste Leisentritius ob amorem, quo erga fidem Catholicam sincere affectus est, nunquam pepercit, nec parcere solet) in usum posteritatis multo auctiorē & magis ornata reddita esse, ex qua non ita pridem accepi modum adiurandi malignos spiritus, quem his insertum tibi communico, ubi perlegeris arridebit tibi.

Non immerito itaque hunc Leisentritium optimarum nationum viri disertissimi, non minus uita quam eloquentia spectati, uehementer amant & amplectuntur, inter quos haud postrema obtinet partem Guilielmus Byfengrinus, quae illius de hoc Leisentritio sit sententia, reperies in locupletissimo, quem edidit, Cathologo testium ueritatis omnium Orthodoxae matris Ecclesiae Doctorum. Haec ille inter caetera.